

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8678

Auteur(s) : Richard Ier Cœur de Lion, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Neufchâtel-en-Saosnois, Notre-Dame de Perseigne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1195, 4 avril

Lieu d'émission : Le Mans

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

CHARTRE DE RICHARD ROY D'ANGLETERRE. — Deux voleurs saisis en flagrant délit sur les terres de Perseigne, près Neufchâtel, sont arrêtés par des hommes de l'abbaye et amenés à la prison du monastère. La nouvelle de ce fait se répand jusqu'à Saint-Rémy-du-Plain, aussitôt le bailli et le sénéchal siégeant en cette ville au nom de Robert III alors au-delà des mers, viennent avec un grand nombre d'hommes armés arracher les criminels de la prison du couvent. Les moines irrités de voir leurs droits atteints par cette violence, protestent et demandent justice au comte du Maine, Richard Cœur-de-Lion. Mais l'affaire traîne en longueur à tel point que Robert revient à Alençon avant qu'un jugement soit rendu. Indigné d'une telle conduite, il vient en personne protester et faire rendre justice aux moines. Tous les droits sont à nouveau reconnus et confirmés. Richard lui-même, qui a Cîteaux en grande estime, accorde sa protection à Perseigne.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fleury Gabriel, *Cartulaire de l'Abbaye cistercienne de Perseigne*, Mamers, Fleury et Dangin, 1880, n°XIV, p. 34-38.

Dissertation critique

Note dans le cartulaire : « Nota qu'ensuite de la présente chartre il y en a une autre dont l'original est perdu qui est du même Richard en date du quatriesme jour de may le neufiesme de son règne, de laquelle il se trouve un vidissé fait par un évesque du Mans l'an 1234, qui est parmi les autres vidissés et confirmations » (FLEURY, *Cartulaire de Perseigne*, p. 36).

Texte d'après a

Richardus rex Anglie, dominus Hybernie, dux Normannie, Acquitania, comes andegavensis et cenomanensis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, vicecomitibus, baronibus, ballivis, justitiariis, senescallis et fidelibus suis, salutem. Noscant igitur presentes et posteris quod cum duo latrones, in uno locorum abbatie de Persenia, in furto manifesto, famuli tunc dicte abbatie de nocte capti fuissent et prepositus monachorum aliique quamplures homines dicte abbatie jam dictos reos apud pressorium religiosorum de Persenia juxta Novum-Castellum, in prissionem deducerent de eisdem celerem justitiam facere proponentes ; quo acto hujusmodi rumor facti ad baillivi et senescalli Sancti Remigii de Plano aliorumque officialium Roberti comitis Alenconis et Sagonensis Domini tunc absentis et in Transmarinis partibus agentis notitiam subito devenit. Qui statim conciti,

cum maximo armorum strepitu et hominum frequentia dictos latrones, de manibus dicti prepositi et ejus sociorum per vim et violentiam rapientes, in ipsius comitis prissionem et custodiam deduxerunt, hoc etiam addentes et dicentes, quod dicti monachi omnes res et homines sui justitie dicti comitis et custodie immediate subjecti executionem et justitiam hujusmodi facere non deberent. His gestis, dicti religiosi contristati tanquam de jure suo injuste destituti, nostram cenomanensem curiam adierunt grandem querimoniam facientes et ut juris sui integram restitutionem celeriter haberent instantissime postulantes. Quibus auditis, dictam justitiam et cetera de quibus oriebatur questio in manu nostra saisivimus et retinuimus ut jus erat. Tandem multis diebus evolutis, post multas litium altercationes, rationes et allegationes dictarum partium in nostra cenomanensi curia promulgatas, contigit prefatum comitem Robertum hec penitus ignorantem de peregrinatione sua apud Alencionem prospere rediisse qui, auditis dicte contentionis causis et injuriis super damnis, laboribus et expensis dictorum monachorum, contristatus, injurias et gravamina eisdem illata egre ferens quos intimi cordis affectu perfectissime dilectionis ultra ceteros religiosos amplius amabat, apud Cenomanos se coram nobis celeriter presentavit, protestans etiam bona fide dictos monachos in exequutione et justitia predictis jus bonum habere ac etiam habuisse, presertim cum hujusmodi libertas videlicet justitie, exemptionis, garde, jurisdictionis, sive custodie predictorum in cartis et privilegiis felicitatis recordationis Willermi, quondam comitis Pontivii et Alenconis, aliorumque fundatorum suorum, eisdem monachis et successoribus suis libere sit concessa. Unde omnia acta et attentata contra prefatos monachos coram nobis adnichilans spontaneus revocavit, et ut de dictis reis aliis quam dictam executionem et justitiam tangentibus dictis fratribus restitutio plenaria fieret nos humiliter postulavit. Nos vero, visis et auditis dictorum religiosorum cartis et privilegiis, de premissis expressam facientibus mentionem et ad petitionem etiam prefati comitis, de predictis universis et singulis domnum Adam confessorem dilectum et fidelem nostrum abbatem prefate abbacie de Persenia, et procuratorem loci predicti in presentia nostra, et prefati comitis constitutos loco et nomine totius conventus fecimus restitui et vestiri, ipsorumque juris et justitie impedimentum omnimodum precepimus admoveri. Confessus est etiam coram nobis idem comes se et successores suos in dicto monasterio Persenie et in membris et pertinentiis aut in rebus, locis, possessionibus, usagiis, libertatibus, et hominibus ipsorum sive in acquisitis et etiam acquirendis eorundem, in posterum nullum jus prandii, hospitii sive prebende, jurisdictionis, justitie, vel districtus, possessionis, vel proprietatis, dominii, aut custodie, vel aliud habere neque etiam reclamare, volens benigne et concedens ut bona omnia et singula dicti monasterii cum pertinentiis suis honorifice, integre, libere et pacifice conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione data sunt et concessa modis omnibus et usibus profutura, prout in cartis et privilegiis inlyte recordationis Willermi comitis Pontivii predicti, aliorumque fidelium ipsis data et concessa plenius continetur. Et si aliquid juris, jurisdictionis vel justitie, dominii aut custodie habeat idem comes sive quacumque ratione et occasione statutis vel consuetudinibus ipse vel successores sui habituri sint in posterum super dictum monasterium et ejusdem membra et pertinentias, homines, census, redditus, possessiones, usagia, libertates, res, et bona eorundem, illud eisdem monachis et successoribus suis dat in puram et perpetuam liberam et quietam eleemosynam, pro salute anime sue animarumque omnium antecessorum et successorum suorum, et concedit misericorditer ac remittit, omni ab ipso et ejus heredibus reclamacione remota, nihil sibi et heredibus suis in omnibus et singulis premissorum nisi divinam remunerationem tantummodo retinendo. Concessit etiam dictus comes quod si ipse aut aliquis heredum suorum vel servientium et ministrorum ipsorum aliquid ultra quod in presenti carta et in aliis cartis et privilegiis dictorum monachorum expressum est, in dicto monasterio sive in membris et pertinentiis ejusdem aut in usagiis forestarum perpetuis et nemorum vel in rebus, possessionibus, hominibus et bonis ipsorum per aliquod pravum concilium, quod absit, fecerint aut justitiam qualemcunque in premissis exercere presumpserint, quod illa exercitatio jurisdictionis vel justitie aut aliter nichil prefato comiti vel successoribus suis contra prefatos monachos eorumve successores in jure, saisina, possessione vel proprietate proficiat in futurum nonobstantibus constitutionibus aliquibus et consuetudinibus jam factis sive statutis in posterum faciendis. Promisit insuper coram nobis bona fide dictus comes quod ad perpetue pacis dictorum religiosorum remedium et munimem super dictarum justitie, jurisdictionis, garde, dominii vel custodie exemptionibus et declarationibus rerumque et possessionum eorundem fratrum confirmat, immunitatibus et libertatibus, et etiam super usagiis forestarum et nemorum libertatibus et constitutionibus eisdem fratribus eorumque successoribus cartas et literas fieri concederet, conservet benigniter atque daret. Et ad universa et singula que in presenti carta inserta sunt pariter et expressa tenenda dictis fratribus et successoribus suis ac perpetuo inviolabiliter observanda, voluit dictus comes, dans fidem corporalem, et constituit se et heredes suos cum omnibus suis, voluntate spontanea et devota penitus obligari. Nos vero qui dictos fratres et etiam totum cisterciensem ordinem amore cordis intimi totis devotionis visceribus amplectimur, ad omnia et singula sicut in presenti per omnes et singulas clausulas expressa sunt,

et exarata et in nostra presentia acta, et etiam concordata prefatis monachis et successoribus suis, auctoritate regia confirmamus eademque a prefato comite et heredibus suis volumus fideliter omnimode adimpleri, atque inviolabiliter perpetuo precepimus observari et si quod absit premissa vel eorum aliqua adimplere dictis fratribus et observare defecerint vel contraire presumpserint tenemur nos, successoresque nostri, secundum tenorem presentis instrumenti aliorumque privilegiorum ipsorum premissa in omnibus adimplere et secundum Deum justitieque ordinem dictos fratres et successores suos indemnes super premissis penitus observare. Eisdemque religiosos cum omnibus suis ab injuriis,....., oppressuris, violentiis, et novitatibus indebitis protegere, sustinere et defendere maxime tamen cum ipsi sint et fuerint cum omnibus suis a sui fundamenti principio, extra jurisdictionem fundatorum et custodiam et in speciali jurisdictione, custodia et protectione sancte matris Ecclesie et in regia tuitione, manu, custodia et defensione nobilium principumque antecessorum nostrorum, quos etiam cum predictis in protectione, manu et custodia predictis volumus et precipimus, libere in perpetuum remanere, eosdemque religiosos et successores suos cum omnibus rebus, locis, possessionibus, hominibus, usagiis, libertatibus et aliis bonis suis, in speciali guarda, protectione et manu nostra ex nunc retinemus ; et prohibemus ne quis eos vel successores suos, aut homines, usagia, possessiones, libertates et eleemosynas a nobis et antecessoribus nostris fundatoribusque suis illis datas et concessas impediatur vel perturbet. Quod si contingit, actores, molestatores eisdemque consentientes sive consilium vel auxilium ministrantes, reos se noverint nostre regie majestatis. Et si aliqui convicti excessisse inventi fuerint vel probati tamquam si in nos et in res nostras proprias et dominicas delinquissent strepitu litium proposito secundum rigorem celeris justitie decrevimus puniendos. Et ut hec mediante prefati comitis assensu in nostra presentia acta est in perhenni hominum vigeant memoria presentem cartam prefatis monachis, ad petitionem supradicti comitis dedimus sigilli nostri munimine roboratam. Hi testes sunt qui nobis presentes fuerunt : G. comes vindocinensis, Almaricus de Creon, Willermus de Rupibus senescallus andegavensis, Patricius de Chaorcis, B. turonensis archiepiscopus, magister Malgerius archidiaconus, Gaufridus de Cella, B. camerarius noster et quamplures alii. Datum per manum Elinandi eliensis episcopi tunc agentis vices cancellarii nostri, quarta die aprilis anno septimo regni nostri apud Cenomanos.